Matyszko Thomae Alex: Cherubin Ecclesiae militantis gracadia ferens.

CHERUBIN
Ecclesiæ Militanti
PRÆSIDIA
FERENS.
DIVINISSIMUS
THOMAS
DE
AQUINO.
Angelicus & Ecclesiæ Doctor.

Recurrente Solemnitatis suæ Festo,
In Basilica Sanctissimæ TRINITATIS
Ordinis Prædicatorum,
Celeberrimi Conventus Cracoviensis,
Præsente Magnorum Hospitum Corona,
A
M. THOMA ALEXANDRO MAŁYSZKO,
Philosophiæ DOCTORE, in Classibus Novodvorscianis Scholæ Rhetoricæ PROFESSORE, Contubernii Hierosolymitani SENIORE.

Styló Oratorió
DEMONSTRATUS.

Annô Quô
AngeLVs eXCeLsVs ReXetDVXnatVs aMore.
Die 7ma Martii.

Typîs Collegii Majoris, Universitatis Cracoviensis.

M D C . 1600
L L 100
X X X 30
X V V V V 20 1750.



IMAGO S. HYACINTHI ODROWAS

Ex Imagine Basilicæ S. TRINITATIS Conuentûs Cracouiensis Ordinis S. DOMINICI; Ecclesiæ Odrowąsensi donatâ: in quavera Corporis, Habitus, et nascentis Monasterij quæ Antiquitas reliquit visuntur lineamenta transumpta et expressa. Crac: 1666.

Inpensis Ex. A. R. D. Ioannis Michalski P. D. & P. Pl. Odrowas.

Opera I. Alexandri Gorczyni Crac. Sculptoris

DIVINISSIMO

HYACINTHO

primùm

Cathedrali Cracoviensi

CANONICO,

expost

Sacerrimi Ordinis Prædicatorum

PROFESSO.

In vita & post mortem Miraculis

CLARISSIMO.

à CLEMENTE Papa VIII. in numerũ Srũm

RELATO.

Regni Poloniæ & Magni D. Lithv. Principali

PATRONO.

D. D. D.

T*Errestria Numina ad sui commendationem operis quærere, sit aliis gloriosum; ego Sancto Nomini Honoriq; Tuo, officiosas Divi Doctoris Angelici Cælo terrisq; vocalissimi laudes, meritò existimavi offerendas.* Confessor Sanctissime HYACINTHE. *Sublimis enim Sapientiâ & altitudine doctrinæ* Cherubin THOMAS *demissiori meâ colitur svadâ, Te quoq; elevatum amore Divino Seraphim Christianus Orbis veneratur, Illum militans Ecclesia inexpugnabilem Defensorem recolit, Te Sanctæ Fidei, & Ordinis primum in Septemtrione Propagatorem recognoscit. Illum tot Miracula, quot*

doctus

doctissima Oracula edidisse fatentur Romani Pontifices, Te quot gressus, tot miræ Sanctitatis vestigia & stupenda prodigia fecisse declarant. Illum ex Illustrissimis Comitibus Aquinaticis oriundum tàm genere quàm virtute præstantissimum vident sæcula, Te ex præcelsa Odrowaziana *Familia in Orbe Polono clarissima procedentem, æquè naturâ ac probitate Principem, adusq; fama publica narrat. Illum Scholastica docentem stupuere Cathedræ, Te Ecclesiastica prædicantem Exedræ mirabantur. Ille Præsuleas renuit acceptare Tiaras, Tu Cathedralia dereliquisti Stalla, Illi vocem* CHRISTI *approbantis audire perjucundum erat, Tibi cum* Dei Para VIRGINE *suavia habere colloquia amœnissimum. Consonum ergo manet ut Nominis Aquinatici gloria, cum Tua propè simili conjungatur* HYACINTHE Diviniſſime, *& sicut Vos jam, ejusdem* Magni Patris DOMINICI Filios *Cælestis sociavit Patria, ita cultus qui Vobis perhibetur in terris, ut simul rependatur, non incongruum est, Angusti sunt præsentium paginarum margines, ad complectendas effusissimas Tui laudes, imò omnes Librorum columnæ infra mensuram tui honoris manent, & conscius tenuitatis labor, nihil ad commendationem sui habet, præter vera Aquinatica Elogia Tuo Nomini Sancto dedicata. Stylus meus non tàm floridus quàm devotus, te* HYACINTHUM *Sanctitate virtutibus, & miraculis vernantissimum, odore gratiarum fragrantissimum, dum obiter describit, humilem adoratorem certiorem efficit, quòd pium suscipies desiderium & Clientem perenni protectione fovebis. Non despice igitur* Sancte Pater, *hanc ex se exiguam operam, laudibus Aquinaticis commendabilem, immortali Tuo consecratam Honori. Non despice preces Clientis, se tuo indesinenti Patrocinio commendantis, qui supplicem ad Sacra Lipsana Tua reponit Libellum.*

SANCTISSIMI NOMINIS TVI

perpetuus Cultor & mancipium.
AUTHOR OPERIS.

ORATIO.

STante Sabbatho hodierno, cùm solemne Divi Doctoris Angelici Festum, recolens Oratoris animus, diligentiùs intra se meditatur & studiosiùs inquirit, quis cultus sermonis? quod par Magno THOMÆ Nomini elogium recitandum? ipse dierum in Ecclesia per sæcula succedentium tractus, non interrupta serie laudes Aquinaticas celebrans sufficienter informat. AA. Quotquot annorum lustra, volubili temporum elapsa recursu computantur, hæc Illustri mirâ sapientia & sanctitate Doctori calculum laudum superaddunt, quotquot dierum circuli variis revolutionibus Ecclesiæ prætergressi numerantur, Angelicæ Doctrinæ infinitam elogiorum abeunt in coronam. Vita humana militia & Ecclesia militans super terram, quàm hæc bene regitur, illa defenditur inconcussâ THOMÆ doctrinâ, quis non fateatur? Decertat continuò pro evictione veritatis non sine trophæis Ecclesia, militat incessanter non sine gratiarum signis pro gloria DEI, sed quantum adjumenti habeat ex solidissima THOMÆ scriptura, quis non videat? cùm hac ceu clypeo, & tela hæreticorum elidit feliciter, & protegit veritatem stabiliter. Quotquot monstrosos stygia Regio ediderat partus, integritati Ecclesiæ inhiantes, veritatem non dubiam impugnantes, his omnibus opposita Doctoris Angelici sapientia, credo sufficit profligandis. Hæc im-

mania terræ portenta (hæreſes intelligo) ſolis erroribûs tumida, pacem inviolatam Eccleſiæ auſu temerario perturbantia, quoties maleſana attollunt capita, calamus THOMÆ acſi gladius iis ſufficit enecandis. Tam inſanos malignantium ſæculorum partus ad numerum revocare Oratorium, non eſt muneris & propoſiti mei, quantum tamen ex ſolidiſſima THOMÆ doctrina militanti Eccleſiæ tutaminis, ex clariſſima Solis Aquinatici ſapientia quantum ſplendoris, ex limatiſſima regulisq; omni exceptione majoribus perpolita arte, quantum ornamenti accedat; ex mira vitæ ſanctimonia quantum exempli orthodoxis adveniat, ad præſens indagandum eſt. Prodigium ſapientiæ, noncupandus THOMAS, cujus alti ſenſus attonitam mentem humanam rapiunt in ſtuporem. Oraculum Verbi Increati promulgandus adeſt, cujus ore Ipſa Veritas æterna loqui videtur, panditq; arcana, ſolis Patriæ ſupernæ comprehenſoribus manifeſta. Abyſſus ex ethymo, an compendioſa Doctorum Epithome dicendus THOMAS, cujus profunda Dogmata plenitudinem omnis ſaſapientiæ comprehendunt, retinentq; totum in parte concluſum. Bonum ex integra cauſa THOMAS, optima quæq; ſupergrediens, ab Ipſo Increato Verbo approbatum, Cælis terrisvè nimis acceptabile. Thronus eſt Altiſſimi, ſuper Abyſſo gloriæ Aquinaticæ locatus, in quo Majeſtas immenſa & revelata Numinis inſcrutabilis Myſteria evidẽter ſpectãtur. Anchorã ego poti' navim Petri in tuto collocantẽ juſtè dixerim THOMAM, qui per varios temporum tractus, viâ veritatis orthodoxæ deduxit eandem ad inſulas fortunatas. Probat

THO-

THOMAM ſole clarior nulliusq; labis conſcia doctrina, Magiſtrum perfectionis Evangelicæ, inter Sanctos eruditiſſimum inter eruditos Sanctiſſimum, mille titulis præferendum, plurimis elogiis celebrandum. In tam ampla THOMÆ elogia dum oculos animumq; converto, immenſa eſt Aquinaticæ gloriæ materies, plura quæ occurrunt præterire cogor, & quod præcipuum eſt Divi Doctoris Angelici attributum, hoc in dictionem venit oratoriam. Prodit ad Martium Menſem Athleta pro bono Eccleſiæ ſtrenuiſſimus, Heros arte invincibili commendatus, in carne Angelus, altitudine mentis non ſolùm homines, ſed & Angelos prætergreſsus. Prodit inquam Angelicus Heros, per cujus Tractatus pax ſtetit militanti Eccleſiæ, per articulos fides conſolidata Romana, per Quæſtiones ſilentium Hæreticis impoſitum, per Summam Theologicam omne pretium venit Religioni orthodoxæ. Motrix eſt intelligentia D. Angelicus Doctor, quo impellente regulares abſolvit Sphæra Eccleſiæ motus, quo protegente adverſa quævis ſuperat & veritatem evincit. Sacerrimum Dominici Ordinem Cælum ego veneror, in quo Hic fortis magniq; conſilii Angelus fovebatur, qui de altiſſimis ſcripſit ſublimiter acſi ea palparet, abſtractiſſima penetravit ſubtiliter, acſi illa tangeret, obſcura Myſteriorum arcana revelavit evidenter, acſi hæc in DEO videret. Vidit THOMAS in ſpeculo eſsentiæ Divinæ prima Ejus attributa, & ea terris revelavit, vixit in carne Angelus ſummâ ſapientiâ & virtutibus conſpicuus & exinde ſupremæ Intelligentiæ comparandus. Ergo D. Doctor Angelicus, Cherubim Ec-

clesiæ militanti Præsidia ferens, pace Vestra hodie demonstrabitur. Non denega auxiliare præsidium imbelli dictioni Cherubim verbo & opere fortissime, THOMA Divinissime, ut exanime orationis corpus in laudum Tuarum tractu non fatiscat, vivifica gratiæ Tuæ subsidio, permitte de Te supremo Angelo an Doctore Angelico, saltem humano modo aliquid edisserere. Date Vestras mentes supremæ Intelligentiæ AA. Sapientissimi, & decertantem pro Ecclesia Cherubinum auscultabitis, modò illi benevola pectora & mihi attentionis Vestræ concedite campum.

QUantumvis humiliori svadæ, altos Cælorum perscrutari Choros,& crassiori eloquio subtilem Angelorum indagare naturam minus conveniens sit; ut tamen inde proficiscatur Oratio mea, unde sumpsit initium, Cherubinorum contemplari statum præsentis mei instituti esse, argumentum à necessario censeo. AA. Supernas Cæli Hierarchias Spiritus dum pervolat Oratorius. Cherubinos, sapientum Sphærarum Motrices primasq; Intelligentias esse videt. Sublimis est Cherubim ex suæ perfectione naturæ, quâ sicut alias creaturas excellit, ita primum Altissimi præsefert Ministerium. Sublimis est Cherubim, quem elevat scientia Divina, ut enim fons ab æquore spatioso limpharum abundantiam; sic ille ab inexhausto Sapientiæ Divinæ Oceano, cognitionis derivat plenitudinem. Specula sunt pellucida Cherubini, in quibus Divina clarè relucet sapientia, & in alios reflexa corruscat. Illustrat crystallus opposita sibi corpora, cùm directos Solis recipit in se radios, illustrant cæteras Cherubini Sphæras

cùm

cùm ab Increato Sole lumen participant copiosum. Spargit exoriens in sphæra Cælesti Titan, primos lucis suæ radios in colles propinquos & elata montium cacumina; Fons luminis incomprehensibilis DEUS, splendorem suæ sapientiæ in proximos Cherubinos, quorum tota proprietas est, arcana Divino latentia sub pectore sibi primò cognita aliis revelare. Sed subsiste dictio Oratoris, sublimes Sphærarum indagare Hierarchias? desine super cardines Cæli primas quærere intelligentias, terraqueum potiùs divertas in Orbem & Divinissimum Aquinatem talem Angelum in corpore adorabis. Motrix est Sapientum Sphærarum Intelligentia THOMAS, ad cujus nutus totus volvitur Orbis literarius, omnes eruditorum circuli ad arbitrium THOMÆ regulares absolvunt motus, & de Ejus participant sapientia. Nasci Deos in terris si compertum est, & Angelum THOMAM natalia sua, celebravisse in sphæra terrestri, non sit mirum. Prognatus aliàs Patre Landulpho Comite Aquinatico & Matre Theodora de Regibus Siciliæ & Arragoniæ oriunda. Et bene: Decuit THOMAM talia subiisse natalia, nam si donum DEI Theodora dicitur, alium non edit Filium nisi Cæli donum, nisi Angelum in carne apparentem. Celsissimam Aquinaticam Domum, justè ego stellatum vocaverim Cælum, in quo tot sydera radiantia micant, quot Principes ex ea, quot Coronati Soles, & prima in orbe terraqueo luminaria fulgent. Cælum inquam jure merito dixerim ab Aquis Aquinaticis Crystallinum, ex omni parte diaphanum & nativi splen-

doris totum per orbem diffusivum. Hoc in Cælo primum ortum sui Cherubim noster habuit, Cui ex Principatibus Potestatibus Thronis Siciliæ & Aragoniæ non modicum ornamenti, plurimum splendoris accessit, quanquam Ipse ab Increato Lumine jam satis lucis derivaverit. Inter homines progenitus THOMAS vivit tanquam Angelus ingenio solo, ipsîs enutritur virtutibûs. Infans adhuc THOMAS & maturæ Sanctitatis indicia monstrat, cùm Reginæ Cælorum inscriptam Nomine conspiciens schædam, eandem nutibus fletibusq; arripere tentat, arreptam, ore pusillo consumit. Hic se magnum Angelum jam exhibuit THOMAS, dum hanc Salutationem quæ prodiit ex ore Angelico, iterum ori admovet, hac pascitur annonâ quæ de Cælis descendit, quæ mundo famelico est demissa. Quis dubitet, adhuc in cunis THOMAM Heroem Angelicum posse noncupari, quando Castrorum Aciem Ordinatam consumit, quando Clypeum salutis quo hostes Ecclesiæ deterreat arripit, Turrimq; ex qua mille Clypei pendent apprehendit. Patrios tantisper lares & dulcia arva relinquens, quinquennis Cassinensem se confert in montem, ut Angelus videatur, scandit summum pietatis cacumen, ut statim à teneris discat immania vitiorum Monstra à summo Cælo, usq; in profundum tenebrarum depellere. Locum Cælo viciniorem occupat, quia nil non sublime sapiet, nil non Cæleste spirabit. Corpore quidem pusillus, at animo grandis cùm nemo in eminenti Cassini monte altius mente levatur ad DEUM, quàm Cherubim THOMAS, nemo

in ora-

in orationibus vigilantior, nemo ferventior in amore Divino, nemo promptior in diſcendo. Præſentiā DEI tam adſtantem coluit, acſi in Cælo eſſet, attributa ipſius ita contemplabatur, acſi in Empyreo reſideret. Admiratur eundem Sacra Benedicti Familia, qui nec dum puerîlem prætextam egreſsus, jam aggreditur metuenda Viris, dum ſollicita mente quæſtionē proponit: *Quid eſt DEVS?* Detinet me ſtupor, quòd THOMAS puerascentem nondum evaſit juventam, & de eo diſcurrere tentat, quod ſenum ingenia fatigare novit, non dum in voces bene, & jam in Quæſtiones altas prorumpit. Transfertur è monte Caſſini Neapolitanum in Parnaſsum, in quo ſcientiâ eminentior, artibus excellentior, & celſior intellectu ſpectatur. Divertit brevi à Muſis ad ſanctitatis & eruditionis Palæſtram, Sacrum Divi Dominici Inſtitutum, ad cellam Religioſam contendit, tanquam ad Cælum ubi mundo altior, erebo inacceſſibilis, carni mortuus, DEO ſoli vivens obſervandus. Probavit ſe Cherubinum THOMAS cùm Choro Prædicatorum Ordinis adjungitur; ex quo tot magni conſilii Angeli in orbem univerſum miſſi numerantur. Adjungitur inquam Angelico, quia Dominicano Choro, ut pote & habitûs candore & cantûs tenore, Cætui Angelorum non abſimili. Indutus candidiori veſte THOMAS in Cælo Domicano totus Angelus, omnem terrenam abjecit ſubſtantiam, ut Spiritus ex integro eſset ſolius gloriæ Cæleſtis Hæres, animoſus Heros Divinus, inimicæ poteſtatis Victor, terror hoſtium Eccleſiæ futurus, &

acerrimus fidei Propugnator. Sed hic obicem ponunt desideriis THOMÆ Landulphus & Arnoldus Comites, aggrediuntur Cælestem Heroem scelerati Fratres, non amantes, sed amentes instant, ut à sancto recedat proposito. Intruditur Angelus Castro, ut animus ejus ad vota Fratrum captivetur, qui altior turribus, Cælisq; ipsis super eminentior assurgit. Instat & Mater Theodora, novercæ nomen induens, cum furore aggreditur THOMAM qui se putat Angelum, hominem qualem genuit probare intendit, linguâ tanquam gladio, verbis ut jaculis, lachrymis ut globis, ad convincendum eum utitur, sed THOMAS Cherubim intrepidus, hæc non metuit, odia respuit amores contemnit, promissa vilipendit, sola Cælestia in pretio habet. Non subjacet juri Parentum, non arctatur consangvinitatis vinculis, quem Religiosa vincula Angelis colligarunt. Victor gloriosus THOMAS, eodem in campo in quo dimicavit strenuè, subsistit feliciter, unâ tamen reportatâ victoriâ videt gradum ad sequentem. Accurrit pulchro ornata vestimento Medusa, omnium oculos venusta deprædans pulchritudine, THOMAM incarceratum armis amoris aggredi tentat, & caro concupiscit adversùs Spiritum; sed hic modus vincendi repugnat Angelicæ puritati, Cherubim castissimus solo DEI fervens amore, nefarios Cypridis ignes neq; sentit, sed adest Angelica virtus fortitudini Ejus, cùm ex ardenti foco, accepto titione, impudicum Monstrum procul abigit, ex oculis & animo pellit. Adeste ergo nunc Cælitum Agmina! & emeritum pro Angelica puritate

tate

tate Athletam lauro coronate. Sæva Mater in-
expugnabilem experta, infensi Fratres Victorem
stupuerunt, Mundus ad pedes Triumphatoris pro-
cubuit, caro fugiit ab Angelo, Angelus sine con-
silio & ope humana è carcere liberatus rediit fe-
liciter in Patriam Dominicanæ Religionis. Ex-
pectant Cathedræ THOMAM, summæ perfectio-
nis Magistrum desiderant Academiæ, Libri suspi-
rant Lectorem an veriùs futurum Correctorem
Editorem. Mittitur Coloniam Agrippinam THO-
MAS magnum Præceptorem nanciscitur Alber-
tum, in quo ars & natura habet quid miretur. Au-
dit verba Magistri THOMAS lento passu in studia
fertur, sed hebes ab initio, conviciis lacessitur
à Condiscipulis, detractorio Nomine bovis non-
cupatur. Bovem & ego THOMAM esse non dif-
fiteor, sed illum, quem sacer vates Ezechiel, in
curru gloriæ DEI Cherubinum agnovit. Bos est
THOMAS, sed ille, qui terribilem, contra hære-
ses mugitum edet: *Cave tibi hæresis* (quàm olim
Romæ secundo bello Punico) Bos est THOMAS,
sed ille, cujus in pectore Sol Aquinaticus, tan-
quã in signo tauri stationem ponet. Bos est THO-
MAS, sed ille, quem Joannes loquentem Ange-
lum mugientém dixit, qui terribiliùs olim lo-
cuturus est, quàm tonitruantia belli fulmi-
na, cujus famæ lituus totum resonabit per Or-
bem. Vaticinatur idem Magnus Professor Al-
bertus, cùm postea magìs ac magìs proficientem
in sapientia THOMAM his alloquitur verbis: *Tu
mihi non respondentis, sed Doctoris locum obtinere videris.*
Glorietur suo Chiron Achille Anaxagoras Peri-

cle

cle, Poſſidonius Cicerone, Socion Senecâ, Lyſias Epaminonda, Ammonius Origene, Antiſtenes Diogene, Plato Ariſtotele, Ariſtoteles Macedone, Plutarchus Trajano, Socrates Arisſtippo, Zopyrus Alcibiade, Victorinus Hieronymo, Paulus Dyonyſio; Divo Magno Alberto ſufficit Angelicus Doctor, qui ex Solo Diſcipulo THOMA, quantæ fuerat perfectionis Magiſter, bene noſceretur. Æquavit Albertum THOMAS Doctor, ſuperavit quia Angelorum Magiſter, an veriùs ipſe Cherubim altitudine doctrinæ ſublimatus, excelſâ ſapientiâ elevatus. Obſtupuit ſapientem Angelum acies ingeniorum Magiſterio THOMÆ ſubjecta, qui ita DEUM comprehendit in via, acſi jam nihil reſtaret in Patria, quod ſibi reſervaretur videndum; ita Ejus attributa explicuit, acſi ob oculos DEI naturam ſtatueret inviſibilem. Oſtendit id totum claré, quidquid fides obſcura credit, explanavit evidenter illa, quæcunq; ſunt abſcondita humano intellectui. Sint aliis in ænigmate Cæli Superumq; receſsus, Scholæ Angelorum Magiſtro manifeſtè patent, qui de Arcanis Divinis ſic diſcurrit, acſi in ſuperum Concilium intraret, cùm de DEO Diſcipulos inſtruit hominem captu videtur excedere, quia Cherubim verus. Illi enim teſte mellifluo Doctore: *ex ipſo Sapientiæ Fonte, ore Altiſſimi haurientes, & refundentes flumina ſcientiæ, univerſis Cæli Civibus infundunt.* (a) Communicavit id aliis THOMAS, quod ipſe participavit à DEO, quotquot ſortitus Alumnos tot Angelos, mente ſublimia quæq; docuit pervolare, inſcrutabilia quævis penetrare. Vix Do-

(a) Bernard: Lib. 5. de Conſid. cap. 4.

ctorem

ctoralem assumpsit pennam, protinus ceu Alatus Cherubim in sublimia quæq; elevatô ferebatur ingeniô, investigavit quævis incognita, illuminavit invisibilia, attigit quæcunq; aliis inaccessa, Sacramenta Divino latentia sub pectore revelavit, ac exinde Cherubim argumentô Oratoriô comprobandus.

Armatum Cherubim ad custodiendum Paradisum deputatum fuisse, ne post mandati transgressionem Divini, pes mortalis ingrediatur illum, sacra pagina testatur. Militantem in terris Ecclesiam Paradisum ego crediderim, in quo Arbor vitæ ramos expandit salutiferos, fructusq; Redemptionis profert, in quo fons aquæ salientis in vitam æternam, larga stillicidia spargit gratiarum. Paradisus Ecclesia est; ergo ejus Custos Cherubim THOMAS, qui prohibet accessum, nè legis prævaricatores Orthodoxæ, audeant invadere, Sancta Sanctorum nefario profanare nisu, viam Veritatis temerare, statutosq; colendi verum Numen invertere ritus. Lingva cautissima THOMÆ gladius acutus est, ad profligandos quosvis Ecclesiæ hostes, Ipseq; THOMAS malleus falsitatis hæreticæ, & Catholicæ veritatis propugnaculum. Quotquot enim verba scripsit tot gravia hæreticis verbera, quot voces protulit, tot oracula Delphicis longè certiora, tot inquam fulmina adversùs impios acatholicos. Insurgant contra Templum DEI Gentiles, Athei, Polithei, Ebionitæ, Buceri, tendant arcum parent sagittas, jacula hæc tangunt quidem

ſed non frangunt, reprimit fortis Angelus, conterit vana capita, ipſis erroribus tumeſcentia. *Concluſum eſt contra Manichæos* per THOMAM, qui ferè totam Africam peſtiferis inficientes erroribus, dum Europæ imminerent limitibus, manu Sapientis Angeli procul eliminati, conſopiti periere. Fatentur THOMAM Cherubinum tot expulſi Prævaricatores de Paradiso Eccleſiæ; profitentur fortiſſimum Angelum, lingvâ manuq; potentem, ſolidâ ſcientiâ ſuâ errores confundentem, dum exclamant: *Tolle THOMAM & diſſipabo Eccleſiam.* Non deſunt quidem ſtrenui pro integritate Fidei, pro immunitate Eccleſiæ, pro veritatis evictione Athletæ; adſunt Divi Ritûs utriusq; Doctores, ſed Abyſſus THOMAS ſapientiæ compendium eſt, incluſit: *Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos, Gregorios, incluſit ſe ipſum, major ſe ipsô & ſe minor. Epithomen fecit alienæ ſapientiæ & Summam ſuæ.* Non deſunt prædicata laudis, variis eruditione & ſanctitate conſpicuis Viris, hos THOMAS S. adæquat, aut docet, aut complet, aut ſupereminet ipſis. Non induco huc Petrum Lombardum
„ Magiſtrum, Halenſem irrefragabilem, Ægi-
„ dium fundatum, Richardum authoritativum,
„ Henricum ſolennem, Alanum univerſalem,
„ Scotum Subtilem, Aureolum facundum, Hen-
„ ricum acutum, Maironem Illuminatum, Oc-
„ camum ingenioſum, Baconem reſolutum, A-
„ riminenſem authenticum, Capreolum ſolidum.
„ Dyoniſium Extaticum, Victoriam incomparabilem &c. quorum Dogmatibus altisq; ſentimen-

mentis Ecclesia & veritas strenuè defenduntur. Angelorum Magistri THOMÆ quantùm valeat doctrina, approbat sola Increata Sapientia CHRISTUS, cùm bis alloquitur verbis: *Bene de me scripsisti THOMA!* Conticescant ergo lingvæ humanæ, ubi Solus DEUS Encomiastes adest, sileat in laudibus THOMÆ Orator, ubi Verbũ Æternũ perorat. O! Bene Divinũ quod laudes supereminet omnes, omnem elogiorũ complectitur summã. Enarrẽt CHRISTI Vicarii Romani Põtifices, quòd Summa THOMÆ, tot constat miraculis quot titulis, tot oraculis quot articulis! plus dicit vox Divina *Bene*, Sed non miror ego quòd THOMÆ, ab Ipsa Veritate æterna sit datum elogium. Cherubim est, vidit hæc in DEO quæ scripsit, participavit ab Inexhausto Sapientiæ Fõte, quæ Libris instillavit. Quò altiùs THOMAS sapit, eò humilitate profundior spectatur, cùm oblatã à Summo Pontifice Neapolitanam Tiaram, acceptare recusat, an ideo, quòd Cherubim altior illâ solius hominis putat esse decus Pontificale diadema. Trahitur ad Lugdunense Concilium, ut mens Divina quæ solis Angelis patet elucidetur ab illo, sed cùm fata Ipsum avocant, redit Cælestem in Patriam unde missus erat, Tractatus suos relinquens, per quos pax conciliaretur Ecclesiæ, Articulos præscribens, per quos fides consolidaretur orthodoxa, summã reponens per quam locus & pretium veritati daretur. Nec immeritò Paulus Pontifex V. eum splendidissimum *Catholicæ fidei probat Athletam, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit*, Innocentius VI. Angelicam Ejus doctrinam tam fortem *stabilem & bene fundatam*

 declarat

declarat, ut qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus. Dum ergo jam THOMAS Angelus corpus deseruit, quod assumpsit, dum Ecclesiam militantem solidâ sapientiâ munitam reliquit, ut à Spiritu Oratorio Cherubin concludatur est necessum.

Applaude jam tibi Sancta Mater Ecclesia tantô suffulta præsidiô, quòd undiquaq; Angelorũ sis stipata satellitiô. Plures enim Sacerrimus Prædicatorum Ordo Magni Consilii fovet Angelos, pro DEO, fide, & Lege à sæculis decertantes. Sydera Cæli computare deberem, si in Dominici Orbe, Viros qui Pontificalibûs Triregiîs, Cardinalium Purpurîs, Præsuleîs Tiarîs Doctoralibûs Mytrîs fulgebant & fulgere non desinent, enumerare vellem. Sydera computare deberem, si Sanctos Cæli, quos Ordo Dominici fovit & fovere non desinet, Agminibus Cælitûm in consortium, tribus Laureolis in complementũ, Ecclesiæ in præsidiũ; universo in tutamen; syllabô comprehendere vellem Oratoriô. Unde Te nonnisi, cujus sub Auspiciis cæpi dictionis Exordium, etiam in Epilogo venerabundus alloquor Doctor Sanctissime. Cherubin es fortissimus, protege sub umbra Alarum Tuarum Aquilam Sarmaticam. Motrix es Sapientum Sphærarum Intelligentia, Palladem Cracianam Studiorum in Regno Magistram, Tuo quotannis de condigno militantem honori, fac Tuo sub Præsidio indesinenti securitate vigere. Omnibus deniq; scientiam voluntatem & gratiam Divinam communica, sic Cherubim ab omnibus adoraberis, qualem

D I X I.